

Summa Concionum.

à facie Aquilonis per quam intelligitur Babylonis flammis ardere Jerololyma, ut explicat D. Hieron. Theo. iore. Rabbin. & alii. Ollam valde diversam vidit David Psal. 59. num. 10. *Moab olla spei mea.* Jeremias, & David ollam vident, ab illa Jeremie malum inevitabile significatur, ab olla autem Davidis magna salutis spes concipitur. Et quando in Jeremie olla inevitabile malum timetur, car è Davidis olla tanta salutis monstratur. In illa Jeremie erat tantum ignis devastans. In hac verò Davidis, *Moab olla spei mea* Juxta Doctores, & Patres apud Lorinum intelligitur Christus D. propter gentiles, ibi denotatos de quorum conversione fuit spes per Christum. In olla Jeremie erat ignis devastans. In illa verò Davidis est Christus gratiarum fons, quibus ducimur in vitam æternam, & inde in ea spes.

10. Vel aliter dicam cum D. Ambrosio lib. de Institut. Virginis c. 13. Qui per ollam Moab intelligit Virg. Mariam. & sic ait. *Quasi olla ferbuit Maria, & quasi nubes pluit in terras gratiam Christi: Est & olla uernus Maria, quæ spiritui ferventi, qui supervenit in eam, replevit orbem terrarum, cum peperit salvatorem, excipit itaque ex Moabitide olla gratia cælestis unguentum.* In illa Babylonica olla solus Nabuchodonosor spirans flammam ostenditur: In olla verò Moabitica Maria Virgo spirans omnes gratias relucet, quæ peccatoribus etiam ignem tribulationum, ac afflictionum patientur, cælestium donorum exhibet fontem, quo minis è omni gratia recreantur.

CONCIO VIII.

Pro magna calamitate, ac labore.

THEMA.

Exurge quare obdormis Domine? exurge, ne repellas in sinem, quare faciem tuam avertis, oblivisceris inopia nostra & tribulationis nostre, quoniam humiliata est in pulvere anima nostra: conglutinatæ est in terra venter noster. Psal. 43. num. 23.

1. Cum se videret Regius Vates cum suo populo multa calamitate ac labore vexati, ita ut quodammodo videretur, quod deus illarum esset oblitus. *Oblivisceris inopia nostra.* Seu ut legunt. D. Hier. Symmach. *Afflictionis & angustie nostre.* Ita ut quodammodo videretur deus dormire. *Quare obdormis Domine.* Efficaciter exclamat, repetita voce. *Exurge.* D. Hieron. *Evigila.* deinde addit *Ne repellas in sinem.* Alii etiam legunt. *Quare projecisti in sempiternum.* Et sub lit ut omnium malorum originem. *Quare faciem tuam avertis.* Seu ut legit D. Hier. *Abcondis faciem tuam.* Quia ab ipsa omne bonum in nos dimanat. *Quoniam humiliata est in pulvere anima nostra,* Aquila vertit. *Procubuit.* Symmachus. *Incurvata est.* Ad summam, & infimam humilitatem.
2. *Exurge quare obdormis Domine.* Aliquando deus sic nos permittit laboribus, ac tribulationibus vexari, ut quoad speciem ipse videatur aliquo modo dormire, ad hunc sensum explicat D. Ambros. illud Matth. 8. n. 23.

Quando discipuli tempestate valde vexati, ita ut navicula operiretur fluctibus, & dominus Jesus dormire videretur: *Discipuli eum excitaverunt, dicentes: Domine salva nos perimus.* Cum ipse providentia, virtute, ac cura maxime in suos vigilaret.

3. *Quare obdormis?* Ad hoc pertinet dialogus ille inter deum & hominem apud Isai. 28. n. 11. *Custos quid de nocte? Custos quid de nocte? dixit custos: venit mane, & nox.* Vox est, ut notat Richardus Victorinus, lib. de Verbi Incarnatione: hominis peculiari cura dilecti à neo, ac sub ejus custodia, qui tamen per aliquod tempus magis tribulationibus vexatur, & peculiariter deum invocat sub nomine custodis, & ait *custos quid de nocte.* Quærens quantum durabit atra nox tot tempestatum ac tribulationum, in qua tanquam in nocte videtur deus dormire, custos respondit. *Venit mane & nox.* Ad quid hæc responsio? nam ille tantum de nocte quærebat, & nil de mane curabat, utpote sciens simul cum nocte non posse esse mane. Cur ergo custos respondens nocti miscet mane? Et quidem nox est tempus dormiendi, sicut & mane vigilandi. Ut ergo à suis tollat sollicitudinem, & metum, clamat; *venit mane & nox.* Ac si dicat, apud me non est nox, quæ non sit permista cum mane, simul sum tempore dormiendi, & tempore vigilandi, & si apud vos videar dormire; semper pro meis dilectis vigilas ago.
4. Vox est illa Cantic. 2. n. 7. *Ne suscitatis, nec evigilare faciatis dilectum.* D. Ambros. I hilo. Carpat. & alii legunt. *Ne evigilare faciatis charitatem.* Quo nomine deum intelligi putant quia deus charitas est, sed cur non suscitatis, ac evigilare faciatis deum, ut ad me liberandum veniat? quia hæc est dei charitas in suos, ut propria sponte occurrat, etiam cum putamur dormire, maximeque invenitur suorum clamorem prævenire. D. Ambros. in Psal. 41. *Non est, ait, passus Deus se ab eis excitari, quia sponte properabat.* Ante omnes excitationes, velut in ipso profundiori somno secundum speciem properabat ferre auxilium, & suos custodire, nisi ab eorum peccatis detinerentur.
5. *Exurge quare obdormis Domine.* Efficaciter ad deum confugit propheta, ejus auxilium invocans, cum se videat in ultima tribulatione constitutum. *Quoniam humiliata est anima nostra in pulvere.*
6. Ager dicitur. Genes. 16. n. 6. *Affligente igitur eam Sarai fugam inivit, cumque invenisset eam Angelus Domini.* Non existimatur, quod formula tanti Patriarchæ Abraham solum vi afflicti onis à domo fugit, sed etiam ad deum confugit, illumque intimo animi affectu exoravit, & quamvis illa oratio afflictionum vi esset exorta, tamen deo sic fuit accepta, ut Angelum consolatorem ei destinaverit, quod ponderat D. Chrysostom. homil. 38 in Genes. *Afflictionis fructus,* ait, *in hac ancilla videre licet, quia postquam, à Domina afflicta fugerat, & multum ærumnosa fuit, dolenteque anima Dominum invocavit, statimque cælestem visionem affecit.*
7. Ad hoc spectat id quod canit David, ut ponderat D. Fulgen. c. 1. de conjugali debito. Psal. 65.

Summa Concionum.

Psal. 65. n. 14. *Reddam tibi vota mea, quæ distinxerunt labia mea; & locutum est os meum in tribulatione, Promittit se adimplere vota, & oblationes, quas tribulatione impellente emisit, sciebat enim has etiam maxime esse gratas Deo.*

8. *Exurge quare obdormis Domine.* Efficaciter ad Deum clamat ex ipsa tribulatione, sciebat enim quod ipsa tribulatio de angustia veniens, multam efficaciam soleat orationi præbere. *Erat Jonas in ventre piscis tribus diebus, & tribus noctibus. Et oravit Jonas ad Dominum Deum suum, de ventre piscis, & dixit, Clamavi de tribulatione mea ad Dominum, & exaudivit me.* Jon. 2. num. 2. Et unde novit Jonas, quod oratio sua exaudita est à Deo? Nonne orabat Jonas pro exitu suo de illo periculo, & tamen cum adhuc intra ventrem belluæ se videret, jam tamen credebatur orationem exauditam esse pro se icti exitu; ex eo quod se in tribulatione positum agnoscebat; sciebat enim Deum maxime exaudire orationem tribulati. Huc spectat David. Psal. 129. n. 1. *De profundis clamavi ad te Domine: Domine exaudi orationem meam.* Quasi inde crederet non posse non exaudiri orationem, quæ de profundis malorum procedebat. D. Zeno lib. 2. serm. 58. *Propheta dicit, ait, de profundis clamavi ad te Domine, Clamat de profundis, sed quibus erat septus, mæstus, tristis calamitatibus humanis. Clamabat non voce, sed corde, non clamore, sed fide, quam seipsum libenter audire.*
9. *Humiliata est in pulvere anima nostra.* Hoc est ad ultimam, & infimam humilitatem devenimus, ut simul cum terra, & à terra oppressi, quæ omnibus nobis, suam opem negat, pereamus. Et merito, ut qui terrena colendo contra Deum delinquimus, à terra omnem ruinam, ac devaluationem habeamus. Valde nota est fornax illa incensa nimis à Nabuchodonosor adversus tres pueros Hebræos de illa ait Daniel. 3. n. 47. *Effundebatur flamma super fornacem cubitis quadraginta novem, & erupit, & incensit, quos reperit juxta fornacem.* Ecce tibi flamma vorax, quæ parcebat pueris Hebræis Chaldæos urebat, & cur non habens vim urendi Hebræos, illam adversus Chaldæos retineret? Erant Chaldæi adoratores ignis: & inde Deo judice, ab illo perimuntur, cujus cultores erant. Theod. serm. 8 de Provid. ait. *Proprios invase flamma cultores; Dei vero servos illos custodivit.* Væ tibi, qui nefandum scelestè colis, illo peribis. Ut dixit c. 9. Apocal. n. 18. *Cum ab illis tribus plagis igne, fumo, & sulphure. Occisa est tertia pars hominum.* Quia ut ait Rupertus ibi, *Deo judice, ut quorum gloriolas, & libidines sectabantur, eorum gladiis occiderentur.*
10. *Exurge quare obdormis Domine.* Postulat David Dei adjutorium, hoc tamen cum multa humilitate, demissione, ac lachrymis. Nostra cooperatio huic rei magnum præbet sumptum. *Abificavit Dominus Deus costam, quam tulerat de Adam in mulierem.* Genes. 2. num. 22. Quæ data est ei in ad uerorum simile ei, quod ponderans D. Anastas. Sinaita lib. 9. Examer. ait. *Quæ dicitur adjutrix, eam fecit ex propria in ipso costa.* Adamus accepit adjutorium à Deo, hoc magno ipsius sumptu, in

tegram enim costam exhibuit, & non nisi ex costa exhibitâ adjutorium vidit.

CONCIO IX.

Pro deprecatione, ac obsecratione alicujus rei maxime necessarise.

THEMA.

Dixit autem ad Esther Regem. *Quid vis Esther Regina? Quæ est petitio tua? etiam si dimidiam partem regni petieris, dabo tibi.* Esther. 5. n. 3.

1. Inquirat Assuerus ab Esther Regina, quoniam sic petitio ejus, ut ei concedatur, & ait. *Quid vis Esther Regina.* Si enim Regina non esset, nihil acciperet; habent enim hoc mundiales principes, quod non nisi in plenum munera sua mittant, Deus verò in vacua, & pauperes.
2. Præstiturus aliquid inopi viduæ dicebat Eliasus. 4. Reg. 4. n. 3. *Pere matris ab omnibus vicinis vasa vacua non pauca.* Ex quo eleganter pungit Petrus Blesens. Epistol. 14. Curialium, & Aulicorum principum abulum, & sic ait. *In curia divitia accumulatur divitiis: neque est, qui respiciat ad in-pem, & mendicium. Eliasus implebat vasa, & deficientibus vasis vacuis fecit oleum. In curia vero contentumur vasa vacua, & plena implentur. Dei servos, vasa vacua quærit, non sic mundiales principes, sed superplena.*
3. Potentissimus fuit Rex Salomon, ita ut ejus divitiæ tanquam quoddam miraculum narrentur in Scriptura, & tamen in sacro text. bis refertur quod dederit. Ex quibus dedit 3. Reg. 9. num. 11. *Dedit Salomon Hiram viginti oppida.* Erat autem Hiram Rex Tyri. Similiter etiam, 3. Reg. 10. n. 13. *Rex autem Salomon dedit Regina Saba omnia.* In his autem duobus locis solum dicitur, quod Salomon dederit Regi Tyri & Regina Saba, solum enim in plenum mundiales principes munera sua mittunt.
3. *Quæ est petitio tua Regina Esther.* Postulat illa. *Obsecro ut venias ad me hodie Rex, & Aman tecum ad convivium, quod paravi.* Ad convivium inimicam suam Aman invitat, ut inde fiat manifestum, quod non ex amore vindictæ, sed ex zelo Dei, ac desiderio salutis populi sui procedebat adversus Aman, & ideo tanto convivio illum excipiebat, quod maxime fuit ipse Regina salutare. Ut David agnovit crudelis inimici sui Saulis nepotem remansisse pedibus claudum Miphibosech nomine, ait, ad illum. 2. Reg. 9. n. 7. *Faciens faciam in te misericordiam propter Jonathan patrem tuum, & restitui tibi omnes agros Saul patris tui, tu comes des pariem in mensa mea semper.* Propter Jonathan promittit illi misericordiam, & ubi meminit illum esse nepotem Saul; statim addit. *Tu comes des panem, in mensa mea.* Nihil magis auspiciatum, & salutare putavit sibi, quam si cibaret inimici infensissimi filium, ut ita planè ostenderet, nihil à se fieri ex odio vindictæ, sed ex zelo Dei, ac communi bono. D. Chrysost. homil. 3. de Saul & David, sic ait; *Quis illius mensa sanctius quam cingebant filii hostis? Quid illo convivio spirituales? Quo tam multa abunda-*

Summa Concionum.

hanc benedictionem; sequidem inimici filium amplecti, facit, ut ille celebretur.

5. In petitione sua, ait Esther. *Obsecro ut venias ad me hodie Aman tecum ad convivium.* Ad convivium confugit Esther, ut populi sui hostem efficaciter perdat, ac si ad convivium sacre Eucharistie confugeret; cuius umbra hostes omnino pereunt, ac destruantur ait Reg. Vates. Psalm. 73. n. 14. *Tu confregisti capita draconis, & dedisti eum in escam populis Ethyopum.* A hyopia confectur Eccl. fia gentium, cui dicitur datus in escam draco, sed quis hoc audivit? Planè non diabolus, sed Christum scimus nobis datum in escam. Si Christum in refectionem sumamus, necessum est, ut simul diabolus absorbeatur. D. August. *Quomodo, ait, acceperunt isti in escam draconem illum? puto, quia magis Christus acceperunt in escam; sed Christum quo se consummarent, diabolum, quem consumerent.* In sacro convivio, Christo accepto, ipsum accipimus, ad perfectionem, & munimen nostrum, & tunc simul diabolus consumitur, & perimitur. Vid. c. 2. q. 48. per totum.

6. *Que est petitio tua Esther Regina.* Assuetus Dei personam hic agebat in typo, qui quamvis optime sciat nostrum desiderium; & affectum, maxime vult rogari, & exorari; & ideo bis hæc verba dixit Assuetus ut Esther bis petat, & oret. Vid. c. 8. q. 6. n. 69. & 70.

7. *Que est petitio tua Regina Esther.* Non solum nomine suo eam Esther dicit, sed etiam Reginam vocat, quia meritis, ac operibus verè Esther Regina erat, & petitio, ac oratio maxime crescit, ac adjuvatur ex meritis parentis. Vid. c. 4. q. 38. n. 346.

8. *Quid est petitio tua Esther.* Non contentus fuit Assuetus semel hoc dicere, sed etiam idem repetit secundò, & pluries repetet. Animus nobilis, ac ingenuus nunquam sistit in gratia præstanda. Auctor naturæ Deus, post sex dies quibus est operatus, *Requievit die septimo, & sanctificavit illum.* Gen. 2. n. 2. In cuius rei memoria populus ille antiquus Judaicus celebrabat sabbatum. Exod. 20. n. 10. *Septimo autem die sabbatum Domini tui est, non facies omne opus in eo, & c.* At novus populus Christianus ad legem gratiæ petens, non servat diei septimi cessationem, sed inquit gratiæ, quod factum est die Dominica resurgente Domino, ut observat Divus Athanas. orat. in illud. *Omnia mihi tradita sunt à Patre meo, & sic ait. Ceterum nova creatura non præcipit, scilicet Deus, observationem sabbati; ne initium quidem in Dominica die agnosceret; sed tamen insubibilem esse, & nunquam desit gratiam certum haberet. Populus ille antiquus, ut rudis, & carnalis celebravit quietem, cessationem, ac finem in fabrica naturali. Novus vero populus Christianus, Dei lumine illustratus, utpote legis gratiæ, celebrat in edificio spiritali initium ac exordium gratiæ, quod est in die Dominica Resurrectionis Domini. Pertinet enim ad gratiam nunquam cessare, sed continuè esse in progressu sine termino.*

9. *Etiamsi dividuum regni mei petieris dabo tibi.* Tam grata ac plausibilis fuit petitio Esther, & tantum valet, ac impetrat. Erat enim ut dicitur Esther. 4. n. 16. illius oratio conjuncta,

ac associata totius populi deprecatione, & concors multorum oratio valde grata & efficax est apud Deum. Vide cap. 4. q. 38. n. 346. & seq. & c. 8. q. 6. n. 63.

10. Respondit Esther Regi. *Si inveni gratiam in oculis tuis, o Rex, & si tibi placet dona mihi animam meam, pro qua rogo, & populum meum, pro quo obsecro.* Maxime notandum, quod tantum Dei populi discrimen, paucis unius femine verbis credatur.

11. Dei populus magno periculo constituitur sub duobus potentissimis Regibus, sub Pharaone nempe in Agypto, & nunc sub Assuero in Susan; sub Pharaone captivitate tenebatur; At sub Assuero mortis sententia condemnatus erat; Ut omnes Judæi infecti uno die perirent. At ut Deus populum suum à captivitate Pharaonis liberaret, multa prodigia, ac mirabilia suæ potentie ostendit; ut illius magnitudo omnibus innotesceret, & sic Deus ait de Pharaone. *Idcirco posuisti, ut ostendam in te firmitudinem meam, & narretur nomen meum in omni terra,* Exod. 9. num. 16. tamen nunc sub Assuero, ut à periculo mortis populus liberaretur paucis verbis unius femine creditur. Cum gravior, ac durius sit poena mortis, quam poena captivitatis; tamen ad liberandum à captivitate tot prodigia fiunt; ad evitandum vero periculum mortis, pauca verba unius femine interveniunt. *Dicebat illa: si inveni gratiam, o Rex, dona mihi animam meam.* Quæ verba sic expl. cat. Rupertus Abbas, *pro qua sua supplicabat tanquam captiva, & ancilla, & tanquam prescripta.* Armavit Deus Moysem signis, ac miraculis suæ potentie quibus obstitit, & resistit Pharaon. Armavit & Esther verbis humilibus, quibus devincitur Assuetus. Efficacius, ac foitius Regis cor sollicitant, & inclinant verba unius Regine, cum signo, ac nota servitutis & famulatus, quam ostensiones, & prodigia divinæ potentie, quibus resistit Pharaon; illis vero devincitur Assuetus. Unde rectè ait D. Chrysostom. homil. 20. ad Rom. in fine. *Humilitatem exerceamus, nihil enim illa potentius.*

CONCIO X.

Pro Peste.

THEMA.

SI misero pestilentiam in populum meum, corrueris autem populus meus, deprecatus me fuerit, & egerit penitentiam à visis suis pessimis, ego exaudiam de Cælo, & propitius ero peccatis eorum, & sanabo terram eorum. Paralip. 7. n. 14. Ferè eadem similia habentur eodem lib. 2. cap. 20. num. 9.

1. Si misero pestilentiam. Pestilentie contagium gravissimum, ac horribile malum, quo perdurante, magna ex parte corruptus est sèc, cuncta inficiens; in omnes corporis animalis meatus, porosque penetrat, & pervenit ad partes vitales, ac cor ipsum velociter perimit, ac perdit. Unde tam hoc loco, quam 2. Reg. 24. n. 13. pro pestilentia Septuaginta ac Græca exemplaria legunt mortem. *Aut tribus*

Summa Concionum.

bus diebus erit mors. Cornel. ibid. ex Græco legit. *Gladium.* Ac sic & tribus diebus erit gladius. Qui idem est pestilentia, ac mors, & gladius in gutture jugulans. Unde Lorin. in Deuter. c. 28. num. 21. ad illa verba. *Adauger tibi Dominus pestilentiam, donec consumat te de terra.* Ait ille quod pestis dicitur à Verb. Græco, quod idem valet, ac *deperdere, devorare, & consumere.* Et ideo ad perdendos ac consumendos homines de terra emittitur pestis à Deo, ut patet ex citat. Deuter. loco.

2. Si misero pestilentiam. Et quæ major miseria poterit excogitari, quàm pestilentia, quæ inficitur, & corrumpitur aër, ut in nullo loco homo sit tutus, ac securus, nec in foro, nec in platea nec in agro, nec in domo sua ut à grassante malo evadat. Ait Amos 5. n. 19. *Quomodo si fugat vir à facie leonis, & occurrat ei ursus, & ingredietur domum, & innitatur manu sua super parietem, & mordeat eum coluber.* Nusquam peccator liber est ab ira Dei, dum ab una fugit, in aliam incidit, & si vult se recipere in domum suam, domesticus paries venenosas bestias producit ad ejus mortem, & ruinam.

3. Ait Isaias c. 5. n. 15. *Iratus est furor Domini in populum suum, extendit manum suam super eum, & percussit eum, & conturbati sunt montes.* Alii legunt. *Et exacerbati sunt montes.* Alii transferunt. *Desolati sunt montes.* Cum peccator iram Dei in se commovet, omnis creatura in illum exacerbatur, ac dissolvitur ut moriens, & panam illi inferat. D. Basil. ibi. *Quando manum suam populo injecerit, & montes exacerbabuntur: quia creatura omnis coarctatur, simulque irruet ad ultionem exoptandam.*

4. Si misero pestilentiam. Distinctè sæviens Deus in Agyptum, percussit omne primogenitum in terra Agypti, à primogenito Pharaonis, qui in solo ejus sedebat, usque ad primogenitum captivæ, quæ erat in carcere. Exod. 12. n. 19. Omnisque primogenitus in unaquaque domo mortuus est. Sæviens Deus in domum Heli interfecit duos filios ejus, sic enim ei prædictum est Domino. *Hoc erit tibi signum quod venturum est duobus filiis tuis Ophni, & Phinees, in die uno morientur ambo.* 1. Reg. 2. n. 34. At sæviens peste, non tantum in qualibet domo primogenitus, vel duo filii moriuntur, sed frequenter omnes filii, omnes servi, & domestici, ac tota domus consumitur, & perit, ut rigor & acerbitas pestilentialis supplicii sit in omnium oculis aperta, ut notavit D. Gregor. lib. 2. in 1. Reg. c. 3. loquens de majoribus, ac P. zlatis. *Tandè denique, ait graviori poena digni sunt, quanto aperit concipiunt, quia de veritate, quam diligunt, non soli moriuntur. Quia dum in præterito mundana latuit mortem ebriunt, potus sui pestem ad sequentium se multitudinem transmittunt.*

Si misero pestilentiam. Ob grande peccatum Israël misit Dominus in populum ignitos serpentes ad quorum plagas, & mortes plurimum veniunt ad Moyssem. Num. 21. n. 6. Et cur miseri à venenatis serpentibus percussit tam diè poenas dabunt. Inde enim venenati serpentes in Israël itas peccatores immittebantur, ut exterius figuraretur pestilens venenatus peccati, quo infectæ erant intrinse-

cus eorum animæ. D. Anselm. in 1. Corinth. c. 9. *Quibus Deus, ait, ad significanda peccata, quorum veneno invisibiliter moriebantur, visibiles serpentes, quibus admonerentur, immisit; & plaga emendatoria mortis animarum moribus corporum figuravit.*

6. Deprecatus me fuerit, & egerit penitentiam à visis suis pessimis. Oratio adjuncta cum penitentia maxime valet, & à Deo exauditur. Hinc Daniel. 9. n. 3. *Cum peccati veniam precaretur ait, Posui faciem meam ad Dominum Deum meum rogare, & deprecari in jejuniis, & cinere.* Orationem cum jejuniis, & sacco exhibet Propheta, quo habitu ceterò à Deo putabat se exaudiri, & ad Deum suam orationem evolante. Theodoret. orat. 9. in Daniel. *In jejuniis, ait, sacco, & cinere, quasi alis instructus preces Deo offerebat.* Vide multa c. 5. q. 22. n. 202. & seq. & q. 23. n. 212. & seq.

7. Propitius ero peccatis eorum & sanabo terram eorum. Quod factum vidimus in pestilentia tempore Davidis, cum juxta conditionem appositam, pestis duratura esset per tres dies. 2. Reg. 24. n. 15. *De mane usque ad tempus constitutum.* Septuaginta *Usque ad horam prandii.* Proindeque miseratus Dominus afflictione populi sui, interposita Davidis oratione, sex tantum horis duravit. Theodor. *Trium dierum, ait, moriem Deus minabatur, sex autem horis solum mortem imulit.* D. Anbr. in Pl. 37. *Qui propulerat, ait, mortem tui deo exercere in terra, ne unum quidem diem passus est præterire, sed ad horam prandii libenter indulgit.*

8. Rectè ad hunc sensum explicat D. Ambros. illud Psalm. 74. n. 9. *Calix in manu Domini, vini meri plenus mixto.* Et inclinavit ex hoc in hoc, verumtamen saxe ejus non est exinanita. Quid est, saxe ejus non est exinanita? Eleganter D. Ambros. in Psalm. sic ait. *Plenus erat calix ad terrendum, ad feriendum non erat exinanitus. Plenus erat calix, cum mors per triduum mandaretur, sed occurrerit misericordia Dei, tenuit manum Angeli, priusquam calicem istum exinaniret. Nam calix iræ divinæ ad tres dies, cum effunderetur, uno medio die, seu sex horis stetit. Et nil amplius ex mero iræ divinæ effusum est.*

9. In obstinatos, ac infideles promittit Deus iram suam effundere, non sic verò in ejus fideles, ac servos ait Isai. 5. n. 17. *Elevare, elevare, confurge Jerusalem que bibisti de manu Domini calicem iræ eius, usque ad fundum calicis saporis bibisti, & potasti usque ad faeces.* Septuaginta calicem ruma bibisti, & evacuaisti. Considera discrimen inter Jerusalem fidelem, plenam penitentia, quæ representabat Ecclesiam Christianorum: ac Jerusalem infidelis, penitentiam respicientem. Jerusalem fidelis, & penitens, sic gustavit de calice furoris iræ Domini ut saxe ejus non esset exinanita. At illa quæ est infidelis, & impenitens usque ad ultimas faeces, calicem iræ Domini bibit. D. Ambros. supradictat. *Jerusalem supra mensuram peccavit, ait, Ecclesia Christianorum calicem exinanire non novit; sed exinanitum unguentum, propter quem Christus se exinanivit, ut ubique flagraret, de manu Domini accipit. Non iram sed misericordiam quasi exinanivit deus, & veluti quoad speciem evacuat super fideles suos.*